

**DE INCOMPATIBILITATE OFFICIORUM,
SPECIALITER PAROECIARUM
Adnotationes ad cann. 152 et 526**

SUMMARIUM: Promulgato Codice Iuris Canonici anni 1983 auctores varias opiniones defendere coeperunt de sensu can. 526, praesertim quoad eius applicationem practicam. In nonnullis regionibus propagatur mos nominandi unam eandemque personam in verum parochum pro pluribus paroeciis. In aliis locis Auctoritas ecclesiastica sese consequenter abstinere pergit ab huiusmodi provisionibus, parochum unius paroeciae pro alia paroecia ad maximum administratorem constituens. Praesens investigatio demonstrare conatur possibilitatem validae collationis plurium paroeciarum singulo sacerdoti theoretice quidem adesse, sed tantummodo in numero valde limitato casuum licite applicari posse.

Promulgato Codice Iuris Canonici anni 1983 auctores varias opiniones defendere coeperunt de sensu can. 526, praesertim quoad eius applicationem practicam. In nonnullis regionibus — velut in pluribus partibus Germaniae aut in Archidioecesi Vindobonensi — propagatur mos nominandi unam eandemque personam in verum parochum pro pluribus paroeciis. In aliis locis — velut in Hispania, Hungaria etc., — auctoritas ecclesiastica sese abstinere pergit ab huiusmodi provisionibus, parochum unius paroeciae pro alia paroecia ad maximum administratorem constituens. Causa huius variabilis praxis in aliquibus Ecclesiis particularibus est convictio secundum quam officia parochorum duarum vel plurium paroeciarum iam non — vel saltem non semper incompatibilia sunt.

Siquidem in can. 152 Codicis vigentis legitur: «*Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt*». Quaeritur ergo an persistat incompatibilitas plurium paroeciarum in iure canonico vigenti, et si ita est, in quonam sensu. Ut haec quaestio clare examinari possit, videndum est: 1) quid significat incompatibilitas officiorum in iure canonico vigenti; 2) quemnam valorem iuridicum habet exceptio in secunda parte § 1 can. 526 contenta.

I. Notio incompatibilitatis officiorum

1. IN IURE VETERIS CODICIS

Codex Pio-Benedictinus cognovit incompatibilitatem tam *officiorum*, quam *beneficiorum*. Iuxta veterem canonem 156* § 2 incompatibilia sunt «*officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt*». De beneficiis autem vetus canon 1439* § 2 enuntiabat: «*Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat*». Incompatibilitatem ut unicam notionem vetus Codex haud definire videtur. Immo Codex Pio-Benedictinus magis forma pro adjectivo dicta (incompatibilis), quam forma substantiva utitur¹. Aliqui tamen aucto-

¹ Cf. LAUER, A., *Index verborum Codicis Iuris Canonici*, Typ. Pol. Vat. 1941, 280 (vox *incompatibilis* septies invenitur: c. 156 § 1-2-3; c. 188, 3; c. 1439 § 1-2; c. 2396).

rum — velut RUDOLF KÖSTLER², RAOUL NAZ³ aut MATTHAEUS CONTE A CORONATA⁴ — etiam notionem abstractam et generalem incompatibilitatis praebent. KÖSTLER et NAZ definitionem incompatibilitatis quarumlibet rerum elaborabant, CORONATA autem de incompatibilitate beneficiorum ut de specie incompatibilitatis officiorum loquitur. Iuxta suam opinionem — quae alioquin in doctrina ANACLETI REIFFENSTUEL et FRANCISCI XAVERII WERNZ nititur⁵ — incompatibilia sunt «*officia quae una simul ab eodem clerico obtineri nequeunt, sive ex natura rei, sive ex lege positiva, sive ex lege foundationis*»⁶.

Incompatibilitas autem beneficiorum consideratur ab auctore ut incompatibilitas officiorum beneficialium, quae aut ex natura rei aut ex mera lege Ecclesiae — velut in casu beneficiorum ad clericum sustentandum de se sufficientium (cf. can. 1439* § 2) — eidem clerico concedi non possunt⁷.

Alii auctores, v. gr. KLAUS MÖRSDORF⁸, ARTHUR VERMEERSCH et JOSEPH CREUSEN⁹, aut MARIO PISTOCCHI¹⁰ simpliciter varias notiones incompatibili-

² *Wörterbuch zum Codex Iuris Canonici*, München 1927, 184 («*unfereinbar, nicht in einer Hand hereinbar*»).

³ *Incompatibilité*, in *Dictionnaire de droit canonique*, V, Paris 1953, 1316 («*On dit que deux choses sont incompatibles, quand elles ne peuvent pas coexister par suite d'une prohibition du droit naturel ou du droit positif*»).

⁴ *Institutiones Iuris Canonici*, I, ³Taurini 1947, 251, nr. 217.

⁵ Vide *ibid.* nt. 8.

⁶ *Ibid.*

⁷ *Ibid.* 252, nr. 217.

⁸ *Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des Codex Iuris Canonici*, I, ¹¹München-Paderborn-Wien 1964, 284-285.

⁹ VERMEERSCH, A.-CREUSEN, J., *Epitome iuris canonici*, I, ⁸Mechliniae-Romae 1963, 274, nr. 274.

tatis prae oculis habent, nempe incompatibilitatem officiorum ex una parte et beneficiorum ex altera. *Officia* iuxta eorum modum loquendi, qui terminologiae veteris Codicis magis respondere videbatur (cf. can. 156* § 2), erant *incompatibilia solummodo si una simul ab eodem adimpleri non poterant* propter obligationes quibus idem simul satisfacere nequibat. *Beneficia* vero praeterquam ratione officii etiam *ratione sufficientiae ad honestam sustentationem titularis* incompatibilia dici poterant.

Quoad incompatibilitatem beneficiorum vetus Codex enuntiabat: «*Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia, ad normam can. 156*» (can. 1439* § 1). Hoc principium autem applicatur ad omnes paroecias, et quidem nullo respectu habito beneficii, sed in quantum paroeciae sunt officia: «*Parochus ad normam can. 156 unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis agatur aequae principaliter unitis*» (can. 460* § 1). Paroeciam in titulo habere significat, iuxta interpretes, eam tamquam *propriam* paroeciam habere. Propterea «*nil ... obstat, quominus unus idemque sacerdos unam paroeciam regat tanquam parochus proprius, alteram vero, immo plures tanquam vicarius oeconomus, vel vicarius substitutus, etc.*»¹¹. De casu autem excepto paroeciarum aequae principaliter unitarum — etsi de huiusmodi unione in iure beneficii sermo fit (cf. can. 1419*, 2) — nonnulli auctorum loquebantur ratione tantum-

¹⁰ *De re beneficii iuxta canones, Codicis Iuris Canonici Lib. III, Pars V, Tit. XXV, Taurini 1928, 207-208.*

¹¹ FANFANI, L.I., *De iure parochorum ad normam Codicis iuris canonici*, ²Taurini-Romae 1936, 93.

modo officiorum. FANFANI ex. gr. paroecias aequae principaliter unitas sic definit: «*quae ... distinctae quoad cetera earum elementa, veluti unicum officium sunt eidem personae propter unionem conferendae*»¹².

Inter causas incompatibilitatis officiorum (natura rei, lex positiva, lex foundationis) doctrina et iurisprudentia ad paroecias primam applicavit affirmans duas paroecias — in quantum officia residentialia et curata — ab eodem clerico *ex natura rei* obtineri nequisse¹³. Natura tamen rei secundum canonistas ex iure ecclesiastico «*pendere potest et plerumque pendet; potest igitur ius ecclesiasticum seu R. Pontifex officii naturam mutare et ita quae prius incompatibilia erant compatibilia fieri possunt*»¹⁴.

Effectus iuridici incompatibilitatis officiorum erant ordinarii vel extraordinarii. Effectus ordinarius erat *renuntiatio tacita* ipso iure admissa. Ob hanc renuntiationem praecedens officium incompatible vacabat ab acceptatione et pacifica possessione alterius officii (can. 188*, 3). Alius effectus erat *prohibitio* huiusmodi provisionis, quae tamen haud invaliditatem collationis officii — excepto in casu in can. 156* § 3 descripto¹⁵ — pro effectu habebat¹⁶.

Effectus extraordinarius autem erat poenalis,

¹² *Ibid.* 94.

¹³ VERMEERSCH-CREUSEN I, 274, nr. 274; D'OSTILIO, F., *L'incompatibilità degli uffici nell'ordinamento giuridico canonico*, in *Apollinaris* 50 (1977) 354-355.

¹⁴ CORONATA I, 252, nt. 1.

¹⁵ Cf. JONE, H., *Gesetzbuch des kanonischen Rechtes. Erklärung der Kanones*, I, Paderborn 1939, 162.

¹⁶ Alio modo quaestionem consideravit PISTOCCHI secundum quem inhabilitas clerici ad acceptanda et retinenda plura beneficia aut officia incompatibilia idem sonabat ac *nullitas attentatae provisionis* (cf. c. 156 § 3) (*De re beneficii* 207-208).

nempe privatio (ipso iure) clerici post pacificam possessionem assecutam secundi officii incompatibilis prius quoque retinere praesumentis utroque officio (can. 2396*)¹⁷.

Cessatio incompatibilitatis in iure canonico Codicis Pio-Benedictini fieri potuit sive unione officiorum, sive dispensatione vel privilegio Sanctae Sedis, sive collatione secundi officii in simplicem administrationem¹⁸. De hoc tertio modo notatur quod in canonibus 188*, 3° et 2396* vetatur tantummodo collatio duorum officiorum *in titulum aut in commendam perpetuam* non autem prohibetur concessio secundi officii *in commendam vicariam*¹⁹. Sic etiam parochus saepe nominari solebat in oeconomum vicinioris paroeciae vacantis (cf. can. 472*).

2. IN IURE CIVILI

Nostris diebus in iure variarum rerum publicarum institutum incompatibilitatis invenitur, sed haud raro tantummodo quoad pauca munera. Auctores nonnunquam incompatibilitatem in iure constitutionali et in iure administrativo distinguunt. Agitur tamen de quaestione quae saepe limites diversarum partium iuris respicit. Quando lex munera quaedam administrativa vel iudicialia vel privata cum aliquo officio electione conferendo (velut deputati) incompatibilia statuit, tam ius electorale quam ius administrativum, etc. attingit²⁰. Aliqui auctorum observant

¹⁷ Cf. D'OSTILIO 358.

¹⁸ Cf. ex. gr. D'OSTILIO 358-362.

¹⁹ Cf. CORONATA II, ³Taurini 1947, 391, nr. 993; D'OSTILIO 362.

²⁰ Cf. ex. gr. DI CIOLO, V, *Incompatibilità ed ineleggibilità parlamentari*, in *Enciclopedia del diritto*, XXI, Milano 1971, 41.

quod effectus huiusmodi incompatibilitatis modo validam possessionem contemporaneam duorum officiorum, modo eorum tantum exercitium afficit²¹. Pendet tamen valde a scopo politico-sociali singularum legum incompatibilitatem statuentium, an collatio vel exercitium posterioris muneris aut possessio vel exercitium prioris officii aut fortasse utriusque possessio irritetur.

Si iura civitatum saepe ad protegendam libertatem electionum aliquas incompatibilitates statuunt²², in iure canonico hodierno mediante instituto iuridico incompatibilitatis magis efficacia exercitii munerum promoveri videtur.

3. IN IURE CANONICO VIGENTI

Novus Codex partem de re beneficii tractantem omnino omittens notionem incompatibilitatis tantummodo officiorum et iam non beneficiorum prae oculis habet. Propterea incompatibilitas respicit efficacitatem exercitii functionum et munerum in Ecclesia et non sufficientiam remunerationis. Sic in novo Codice habetur utique unica notio incompatibilitatis, et quidem officiorum. Haec notio conceptui incompatibilitatis veteris canonis 156* plene respondet.

Adsunt tamen aliquae differentiae in effectibus. Novus canon 152 ut supra vidimus — aliter ac vetus can. 156*, qui alioquin eius fontem constituit — iam nullam sanctionem irritantem continet pro casu collationis officii incompatibilis a Sede Apostolica factae sine mentione prioris officii incompatibilis in supplici

²¹ *Ibid.* 41-42; CAIANELLO, G., *In tema di incompatibilità fra la posizione di magistrato e quella di amministratore pubblico*, in *Foro italiano* (1970) III, 42.

²² Cf. ex. gr. DI CIOLO 42.

libello. Simili modo omnino cessavit sanctio veteris can. 188*, 3º, quae amissionem prioris officii ab acceptatione et pacifica possessione secundi officii incompatibilis praescripsit²³.

Quod de nullitate collationis secundi officii pro aliquibus saltem casibus antiqui auctores (vide supra) affirmabant, hodie non viget. Proinde dicere possumus nullam collationem officiorum incompatibilium ex se, sine dispositione speciali invalidam esse²⁴ (cf. can. 10). Huiusmodi collatio tamen rescindibilis est per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi (si habetur...) (cf. can. 149 § 2)²⁵. De causa huiusmodi rescindibilitatis opiniones canonistarum inter se differunt. Aliqui, velut JUAN IGNACIO ARRIETA²⁶, PIO VITO PINTO²⁷ et LUIGI CHIAPPETTA²⁸ possessionem prioris officii incompatibilis ut qualitatem personae candidati considerant et sic

²³ Cf. ex. gr. SOCHA, H., in *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici unter besonderer Berücksichtigung der Rechtslage in Deutschland, Österreich und der Schweiz*, Hrsg. LÜDICKE, K., Essen 1985 ss. (Nov. 1990), 152/3, nr. 8. Aliter censuit MANZANARES, J., in *Código de Derecho Canónico. Edición bilingüe comentada*, dir. ECHEVERRÍA, L. DE, Madrid 1983, 115; «Al tomar posesión del nuevo oficio cesa en el anterior».

²⁴ Cf. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/3, nr. 8; URRUTIA, F.J., *De normis generalibus. Adnotationes in Codicem: Liber I*, Romae 1983, 103; PIÑERO CARRION, J.M., *La ley de la Iglesia. Instituciones Canónicas*, I, Madrid 1985, 292: «nuestro canon no tiene cláusula irritante».

²⁵ Cf. ARRIETA, J.I., in *Código de Derecho Canónico, Edición anotada*, A cargo de LOMBARDIA, P.-ARRIETA, J.I., [= *Código EUNSA*] Pamplona 1983, 143.

²⁶ *Ibid.*

²⁷ In *Commento al Codice di diritto canonico*, a cura di PINTO, P.V. (Studia Urbaniana 21), Roma 1985, 89.

²⁸ CHIAPPETTA, L., *Il Codice di diritto Canonico. Commento giuridico-pastorale*, I, Napoli 1988, 208.

casum supra dictum intra limites facti speciei in can. 149 § 2 descripti collocant. Alii, velut HUBERT SOCHA²⁹ opinantur sanctionem rescindibilitatem statuentem canonis 149 § 2 in hoc casu non per se valere, sed cum analogia (cf. can. 19) applicari posse.

Auctores moderni — etiam quoad disciplinam vigentem — varia genera incompatibilitatis distinguunt. Fere omnes canonistae incompatibilitatem in *materialem* et *legalem* dividunt. De incompatibilitate materiali sermo fit, quando officia simul ab eodem propter impossibilitatem materiam adimpleri nequeunt. Quando autem impossibilitas legitima possessionis plurium officiorum ex sola dispositione iuris (vel decreti auctoritatis competentis quo officium constituitur — cf. can. 145 § 2) provenit, incompatibilitas dicitur legalis.

Attamen etiam incompatibilitas materialis — ut supra diximus — causam suam in ipsa lege habere potest, velut incompatibilitas duorum officiorum, quae ex lege residentialia sunt³⁰.

Nonnulli subiungunt quod incompatibilitas tam materialis quam legalis sive *absoluta* sive *relativa* esse potest. Incompatibilitas absoluta persistit inter officia semper et obiective, non pendet a persona titularis

²⁹ *Münsterischer Kommentar* 152/3, nr. 8. Auctor ex parte sua opinionem ante Codicem vigentem conceptam Richard STRIGL (*Grundfragen der kirchlichen Ämterorganisation* [Münchener Theologische Studien, Kanonistische Abteilung 13], München 1966, 122) sequitur.

³⁰ Cf. CHIAPPETTA I, 208; de divisione incompatibilitatis vide etiam ARRIETA, in *Código EUNSA* 143; HILL, R.A., in *The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, ed. CORRIGEN, J.A.-GREEN, T.J.-HEINTSCHEL, D.E., New York-Mahwah 1985, 101; PINTO, in *Commento* 89; SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/1-2, nr. 2-4; etc.

officii, nec a loco vel tempore exercitii muneris. Incompatibilitas autem relativa provenit ex circumstantiis, velut amplitudo territorii, valetudo titularis etc.³¹.

Secundum Codicem incompatibilitas *legalis* et *absoluta* existit ex. gr. inter officia quae sequuntur:

— administrator dioecesanus et oeconomus eiusdem dioecesis (can. 423 § 2);

— vicarius generalis aut episcopalis et canonicus paenitentarius (can. 478 § 2);

— superior maior instituti religiosi et oeconomus totius instituti vel provinciae (can. 636 § 1);

— promotor iustitiae et defensor vinculi in eadem causa (can. 1436 § 1);

— iuxta aliquos: iudex, promotor iustitiae, defensor vinculi, procurator, advocatus aut etiam peritus (si hoc munus ut officium constitutum est) qui causae interfuit et iudex in alia instantia in eadem causa (can. 1447)³².

Officia *materialiter* et *absolute* incompatibilia sunt:

— officia quae ex lege modo *absoluto* residentiam in diversis locis requirunt, velut officia Episcoporum dioecesanorum (can. 395 § 1)³³;

³¹ Cf. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/2-3, nr. 5.

³² Vide CHIAPPETTA I, 208 (valet tantummodo pro actu definitionis causae: «nequit... definire»).

³³ Cf. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/2, nr. 5; auctor tamen officia duorum Episcoporum dioecesanorum absolute incompatibilia tantummodo in eo casu censet, quando de duobus dioecesibus longe distantibus agitur. Attamen § 2 can. 395 quando de officio Episcopo commisso loquitur ut de causa legitimae absentiae, magis aliquod munus transitorium, quam aliud officium ecclesiasticum residentiale prae oculis habere videtur. Sic etiam nonnullae translationes verbum «officium» in hoc

— officia quae propter alias obligationes contrarias ab eadem persona nullo modo compleri possunt, velut — secundum aliquos auctores — officia rectoris et directoris spiritualis eiusdem seminarii (can. 239 § 1-2, cf. can. 985)³⁴ aut Superioris maioris et magistri noviciorum (can. 620 et 651 § 3)³⁵.

Officia *relative* et *ex lege* incompatibilia sunt in Codice ex. gr.:

— superior localis in quodam instituto religioso et oeconomus in communitate locali (can. 639 § 1 in fine: haec officia personis distinctis concedi debent «quantum fieri potest»);

— vicarius iudicialis et vicarius generalis (can. 1420 § 1: «nisi parvitas dioecesis aut paucitas causarum aliud suadeat»).

Officia *relative* et *materialiter* incompatibilia sunt quae obligationes contrarias, sed non semper et absolute cum officio connexas continent.

Nihil obstat, quominus duo vel plura officia non solum ex una ratione et uno modo, sed simul variis modis incompatibilia sint.

Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium in titulo XX, ubi de officiis ex professo sermo fit, iam non praebet notionem incompatibilitatis, immo usum

contextu aliis expressionibus interpretantur, et non termino tecnico pro officio ecclesiastico reservato, ex. gr. *Codex des kanonischen Rechtes. Lateinisch-deutsche Ausgabe*, Kevelaer 1984, 177 («eine andere Aufgabe»). Cf. GREEN, T.J., in *The Code of Canon Law* 333, ubi auctor ut exemplum officii extradiecesani legitimam causam absentiae Episcopi dioecesani praebenti munus membrorum in aliqua Congregatione Romana refert (vide MP, *Pro comperto sane*, 6 Augusti 1967, nr. III: AAS 59, 1967, 883).

³⁴ SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/2, nr. 4.

³⁵ *Ibid.*

huius vocabuli in respectivo canone (can. 942 CCEO) omnino evitat. Hic canon valde differt tam a can. 152 Codicis latini quam a can. 98 § 1-2 MP *Cleri sanctitati*³⁶, qui alioquin normam non inter regulas generales de provisione officiorum, sed sub rubrica speciali «De libera collatione» collocabat:

CIC can. 152:

Cleri sanctitati
can. 98 § 1:

CCEO can. 942:

«Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt».

«Nemini conferantur duo officia incompatibilia».
§ 2:

«Sunt incompatibilia officia, quae propter residentiae onus quod secumferunt aliasve obligationes, una simul ab eodem adimpleri nequeunt».

«Nemini conferantur duo vel plura officia, quae una simul ab eodem congrue impleri non possunt, nisi adest vera necessitas».

Ut videtur Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium evitat institutum absolutae incompatibilitatis officiorum, regulationem magis elasticam praebens.

II. Incompatibilitas paroeciarum

1. INCOMPATIBILITAS EX CAN. 526 § I PROVENIENS

Can. 526 novi Codicis in § 1 enuntiat principium incompatibilitatis paroeciarum in forma, quae satis differt a dispositione veteris Codicis:

³⁶ 2 Iunii 1957: AAS 49 (1957) 464.

Can. 526 § 1:

«Parochus unius paroeciae tantum curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen sacerdotum aut alia adiuncta, plurium vicinarum paroeciarum cura eidem parocho concredi potest».

Can. 460* § 1 CIC/17:

«Parochus ad normam can. 156 unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis agatur aequae principaliter unitis».

Propter possibilitatem in novo canone expresse concessam concedendi curam pastorem plurium paroeciarum vicinarum eidem parocho varii canonistae affirmant iam nullam incompatibilitatem inter officia plurium parochorum adesse³⁷, aut saltem hanc incompatibilitatem — si per condiciones personales parochi vel per amplitudinem paroeciae forte adest — tantummodo materiale et non legale esse³⁸.

Alii auctores argumentum hauriunt ex historia textus canonis dicentes reformatores Codicis unionem paroeciarum aequae principaliter factam prae oculis habuisse et disciplinam veteris Codicis non mutare voluisse³⁹. Hoc argumentum sat validum esse videtur,

³⁷ Ex. gr. PIÑERO CARRION I, 293 («Ya no hay incompatibilidad en ser párroco de dos parroquias»); MAY, G., *Das Kirchenamt*, in *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, Hrsg. LISTL, J.-MÜLLER, H. SCHMITZ, H., Regensburg 1983, 145 («Kompatibel sind...mehrere Pfarrämter»); PAARHAMMER, H., in *Münsterischer Kommentar* 526/2, nr. 4.

³⁸ CHIAPPETTA I, 624 («Le parrocchie possono esser affidate in pieno titolo, per cui il sacerdote è vero parroco di tutte e di ciascuna delle parrocchie affidategli. Né, col nuovo Codice, esiste alcuna incompatibilità giuridica a tal riguardo. L'incompatibilità potrebbe essere solo di fatto, qualora il candidato ... non fosse in grado di attendere adeguatamente alle parrocchie»).

³⁹ Cf. SANTOS, J.L., in MANZANARES, J.-MOSTAZA, A.-SANTOS, J.L., *Nuevo Derecho Parroquial* (Biblioteca de Autores

quia usque ad sessionem die 8 maii 1980 celebratam Schema canonis dicebat:

«§ 1. *Parochus ad normam can. (De normis generalibus, can. 126) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen sacerdotum aut alia adiuncta possunt, saltem pro tempore, quaedam paroeciae ab Episcopo dioecesano aequae principaliter uniri*».

Secundam partem huius textus Commissio mutavit et in hodiernam formam redegit tantummodo «per claritatem expositionis»⁴⁰. Remanet tamen factum, quod textus vicens nullum sermonem expressum de unione paroeciarum eidem parrocho conferendarum facit.

Etiam JEAN-CLAUDE PÉRISSET affirmat plures paroecias eidem sacerdoti ut vero parrocho concreditas non plura officia, sed unam tantum paroeciam constituere. Introdūcit tamen praeter historiam textus etiam aliud argumentum: nova notio paroeciae permittit, immo et exigit ut munus sacerdotis verum parochum variarum paroeciarum ut unum solum officium consideretur⁴¹.

Si, iuxta dicta, nominatio alicuius sacerdotis in verum parochum variarum simul paroeciarum iam per

Cristianos 501), ²Madrid 1990, 25. Propterea nonnulli vident inalteratum in novo can. 526 principium veteris can. 156*, 460* et can. 152, secundum quod unus parochus unam solam paroeciam habere debet, cf. SOUSA COSTA, A., in *Commento* 316.

⁴⁰ *Communicationes* 13 (1981) 276.

⁴¹ PÉRISSET, J.C., *La paroisse. Commentaire des Canons 515-572* (Le nouveau droit ecclésial. Commentaire du Code de Droit Canonique), Paris 1989, 85 («... lorsque plusieurs paroisses voisines sont confiées à un même curé, on ne peut pas parler de plusieurs offices confiés à la même personne»).

se unionem ipsarum paroeciarum efficeret, huiusmodi tamen unio vetita esset ad normam can. 526 § 1, nisi circumstantiae ibi indicatae exceptionem iustificarent. Alia quaestio est, quod in hoc casu prohibitio canonis iam haud — vel tantum in modo valde speciali — incompatibilitatem plurium officiorum constitueret. Historia tamen textus — licet in forma definitiva allusio ad canonem de incompatibilitate officiorum non inveniatur — prohibitionem canonis speciem incompatibilitatis esse demonstrat. Ex elucubrationibus JEAN-CLAUDE PÉRISSET sequeretur, quod effectus iuridicus violationis legis incompatibilitatem statuentis illicita unio paroeciarum esset.

Notandum tamen est, quod notio paroeciae (can. 515 § 1) communitatem *stabilter constitutam* postulat. Haec stabilitas — etsi logice adesse posset etiam in casu unionis paroeciarum collatione eidem personae facta — practice multum pateretur propter requisita specialia paroeciarum (ex. gr. can. 515 § 3: personalitas iuridica; can. 535 § 1: libri paroeciales). Si autem integritatem iuridicam singulae paroeciae conservarent ut in casu classico unionis aequae principalis, ipsa unio theologicè pulcherrima communitatis ex pluribus paroeciis compositae haud visibilis esset. Pro praxi igitur sufficere videtur vel pluralitatem officiorum eidem parrocho concreditorum simpliciter concedere, vel unionem variarum paroeciarum inter limites veteris instituti iuridici unionis aequae principalis considerare. In hoc ultimo casu autem unio paroeciarum — saltem logice — praecederet et non sequeretur concessionem paroeciarum eidem parrocho. Paroeciae enim eidem sacerdoti concredita sive per unionem solummodo aequae principalem, sive per simplicem pluralitatem conservatam, plenam integritatem iuridicam retinent, proprium consilium pastorale et de

rebus oeconomicis, necnon libros paroeciales conservant earumque membra (christifideles) pristinam adescriptionem (domicilium) paroecialem tenent⁴². Si unio hanc integritatem iuridicam supprimit, Episcopus ante emissionem talis decreti consilium presbyterale audire debet (can. 515 § 2), et iam non agitur de pluribus paroeciis.

Quidquid autem sit de unione vel pluralitate talium paroeciarum, ex notione supra descripta incompatibilitatis sequitur, quod can. 526 § 1 *officia parochorum plurium paroeciarum* — saltem pro regula generali — incompatibilia statuit. Haec incompatibilitas est *legalis* et non tantum materialis, quia in ipsa lege directe continetur. Est *relativa* et non absoluta, quia exceptionem propter adiuncta rerum permittit⁴³. Attamen, si verbum «vicinarum» in can. 526 § 1 ad normam can. 18 stricte intelligitur (sensu paroeciarum finitimarum et non tantum propinquarum), ut faciunt aliquae translationes⁴⁴, dici potest quod can. 526 § 1

⁴² Cf. ex. gr. PAGÉ, R., *Les Églises particulières. II. La charge pastorale de leurs communautés de fidèles selon le Code de droit canonique de 1983* (Les institutions ecclésiales 4), Montréal-Paris 1989, 86-88.

⁴³ Etiam notio paroeciae vicinae relativa est, si paroeciam propinquam et non tantummodo stricte limitropham seu finitimam significat. Non videtur quid ponderis esse posset stricta continuitas territorialis pro unitate pastoralis constituenda. Habentur enim dioecesis et paroeciae, quae ex partibus separatis et territoriis aliarum dioecesium vel paroeciarum circumdatis constant. Discontinuitas autem territorii unitatem communitatis per se haud excludere videtur. Propterea expressionem «vicinarum paroeciarum» recte interpretari videtur Hugo SCHWENDENWEIN (*Das neue Kirchenrecht. Gesamtdarstellung*, Graz-Wien-Köln 1983, 236: «mehrere naheliegende Pfarren»), qui in hoc contextu de paroeciis propinquis loquitur.

⁴⁴ Ex. gr. *Codex des kanonischen Rechtes* 239 («benachbarte Pfarreien»).

paroecias non finitimas incompatibiles reddit incompatibilitate *legali et absoluta*⁴⁵. Pro paroeciis finitimis ad normam can. 526 § 1 valet incompatibilitas legalis et relativa, quia vetitum legis propter varia adiuncta exceptiones permittit.

Comparationis gratia notandum est, quod *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium* de officio parochi similiter ac *Codex* latinus sequentia disponit:

«Parochus unius paroeciae tantum curam paroecialem habeat; ob penuriam tamen presbyterorum aut alia adiuncta plurium vicinarum paroeciarum cura eidem parochi concedi potest» (can. 287 § 1 CCEO).

Aliqui auctorum exceptionem a regula generali incompatibilitatis paroeciarum in secunda parte can. 526 § 1 descriptam cum ad possibilitatem nominandi parochum in verum parochum etiam alterius paroeciae tum ad possibilitatem eidem concedendi aliam paroeciam in administrationem (cf. can. 539)⁴⁶ vel praesertim ad hanc secundam⁴⁷ referunt. Videtur tamen, quod exceptio specialiter primam possibilitatem continet. Hoc sequitur ex ipsis verbis exceptio-

⁴⁵ Re vera etiam Luigi CHIAPPETTA (I, 208) loquitur de officiis parochorum in can. 526 § 1 non exceptis inter exempla incompatibilitatis *ex lege* provenientis. Cf. PAARHAMMER, in *Münsterischer Kommentar* 526/1, nr. 1 («Der alte Grundsatz, daß ein Pfarrer nur für eine Pfarrgemeinde seelsorgliche Verantwortung tragen soll, besteht nach wie vor»); 526/ nr. 2 («§ 1 räumt ... die Möglichkeit ein, einem Priester die Seelsorge mehrerer Pfarreien anzuvertrauen. Voraussetzung ist, daß die Pfarreien benachbart sind»); SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/2, nr. 5 (auctor affirmat paroecias longe distantes *absolute* incompatibiles esse).

⁴⁶ Ex. gr. PAARHAMMER, in *Münsterischer Kommentar* 526/2, nr. 4; ERDŐ, P., *Bevezetés a kánoni jogba. Bevezető ismeretek, általános szabályok*, Budapest 1989, 182-183.

nem experimentibus canonis, quae regulae generali opponuntur. Cura enim paroecialis respectu habito historiae textus⁴⁸ in can. 526 § 1 officium parochi indicare et sese in statum stabilem referre videtur⁴⁹. Quia autem canon novus quoad substantiam veterem disciplinam praebet, quae ut diximus commissionem alterius paroeciae alicui parochi ut vicario oeconomio minime prohibebat, nec ulla incompatibilitas *legalis* (sed ad maximum forte aliqua materialis et relativa) inter officium parochi et administratoris paroecialis habetur (cf. can. 6 § 2).

Causa pro exceptione a regula incompatibilitatis legalis paroeciarum in can. 526 § 1 utique requiritur, et quidem sacerdotum penuria aut alia adiuncta⁵⁰. Haec tamen causa specialis esse debet, quae *talem solutionem requirat* (et non plenam unionem paroeciarum, nec designationem parochi in administratorem alterius paroeciae, neque commissionem paroeciae in solidum pluribus sacerdotibus ad normam can. 517 etc.), et — propter multiplicem incompatibilitatem materiale (vide infra!) — *notabilis gravitatis* sit.

⁴⁷ Ex. gr. SANTOS, in *Nuevo Derecho Parroquial* 25; RUF, N., *Das Recht der katholischen Kirche*, ⁴Freiburg 1984, 142.

⁴⁸ Cf. can. 460* § 1 («titulo»); *Communicationes* 13 (1981) 276 («ut pastor proprius»).

⁴⁹ Cf. PÉRISSET 86.

⁵⁰ Nonnulli specialitatem et pondus huius causae efferunt, velut MOGAVERO 129 («caso eccezionale di necessità»); URSO, P., *La struttura interna delle chiese particolari*, in AA.VV., *Il diritto nel mistero della Chiesa*, II, *Il popolo di Dio. Stati e funzioni del popolo di Dio, Chiesa particolare e universale, la funzione di insegnare* («Quaderni di Apollinaris» 9), Roma 1990, 459 («per ragioni particolari»).

2. INCOMPATIBILITAS EX CAN. 152 PROVENIENS

Si incompatibilitatem ex can. 526 § 1 provenientem diximus legalem, hoc significat quod eam — etiam per historiam textus — pro specie incompatibilitatis in can. 152 descripti habemus. Can. 152 tamen statuit etiam aliam incompatibilitatem, nempe materiale. Et haec incompatibilitas provenire potest, ut supra diximus, sive ex sola lege, quae obligationes officio adnexas statuit, sive ex rerum adiunctis.

Obligationes contrariae parochi plurium paroeciarum oriuntur ex lege *residentiae* (can. 533 § 1-2). Ab obligatione residendi *in domo paroeciali prope ecclesiam* loci Ordinarius *iusta ex causa* exceptionem permittere potest (can. 533 § 1). Ab obligatione in *territorio paroeciae* commorandi ultra mensem feriarum et tempus recessus spiritualis tantummodo *gravis ratio* excusat (can. 533 § 2). Hoc significat, quod obligatio residentiae et ipsa relativa est. Si ex ea incompatibilitas *materialis* oritur, et haec nonnisi *relativa* esse potest. Si vero parochus variae paroeciae pleno iure conferuntur vel cessat pluralitas officiorum et sic etiam obligatio residendi pluribus in locis, vel — iuxta alios — *gravis ratio* oritur, quapropter in territorio aliquarum paroeciarum parochus iam non residere tenetur.

Adesse possunt etiam aliae causae incompatibilitatis materialis et relativae, quae ex aliis adiunctis proveniunt, velut ex infirma valetudine titularis, ex amplitudine territorii, ex magno numero fidelium etc., et impediunt quominus parochus paroeciae — etsi vicinae — curam habeat. Sed identificatio talis incompatibilitatis difficillima est, quia agitur de aestimatione adiunctorum ad decidendum, utrum officia una simul ab eodem adimpleri queant necne. Si

aliquis varia officia adimplere potest, sed minus congrue, liceitas collationis non excluditur, si causae sufficientes adsunt⁵¹.

3. INCOMPATIBILITAS EX NOTIONE «PASTOR PROPRIUS»?

In nova definitione paroeciae ut elementum constitutivum invenitur, quod cura pastoralis huius communitatis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur paroco, «qua proprio eiusdem pastori» (can. 515 § 1). Etsi expressio «proprius pastor» praesens erat in descriptione paroeciae, quam vetus can. 216* § 1 praebuit, nova notio paroeciae eadem verba cum significatione et accentu aliquantulum diverso continet⁵², in quantum cum eis relationem specialem inter communitatem et parochum exprimit. Iuxta aliquos «pastor proprius» ut terminus in parochum tam a Concilio Vaticano II (CD 30 a, CD 11 b, cf. LG 26 a, DV 10 a, AA 10 c, AG 27 a, PO 9 f, GS 73 a) quam a novo Codice applicatus functionem habet colligandi principia communionis (seu communitatis!) et hierarchiae⁵³. Re quidem vera parochus ut pastor proprius in communitate sibi concredita sub auctoritate Episcopi fungens eius in partem ministeri Christi vocatus est (can. 519).

⁵¹ Cf. CHIAPPETTA I, 624; CCEO can. 942 («*Nemini conferantur ... quae ... ab eodem congrue impleri non possunt, nisi adest vera necessitas*»).

⁵² Cf. ex. gr. BORRAS, A., *La notion de curé dans le Code de Droit Canonique*, in *Revue de Droit Canonique* 37 (1987) 217, 230.

⁵³ Cf. PÉRISSET 50-52, 84-85; SCHICK, L., *Die Pfarrei. Beitrag zu einer theologisch-kanonistischen Ortsbestimmung* (Fuldaer Hochschulschriften 6), St. Ottilien 1988, 23.

Ex usu expressionis «pastor proprius» aliqui auctores concludunt potestatem regiminis parochi ordinariam et *propriam* (id est non vicariam) esse⁵⁴. Attamen sunt textus Concilii Vaticani II, qui parochum ut Episcopi vices gerentem prae oculis habent (SC 42 a, LG 28 b, PO 5 a). Propterea cum FRANCESCO COCCOPALMERIO dici potest: «...*actiones parochi sunt "propriae" quia haud referri possunt Episcopo dioecesano eadem ratione ac illi referuntur actiones alicuius vicarii*», sed «*parochus est pastor "vicarius" Episcopi dioecesani*»⁵⁵.

Quaeritur an relatio expressione «pastor proprius» indicata inter communitatem et parochum sit adeo exclusiva, ut eidem parocho unam tantum paroeciam permittat⁵⁶. Nisi officia Episcoporum dioecesanorum plurium dioecesium sine ullo discrimine pro compatibilibus putantur — quod saltem sine unione aequae principali tam praxi⁵⁷ et traditioni Ecclesiae, quam principiis iuris canonici vigentis (cf. can. 369, 395 § 1)⁵⁸ contrarium esset —, ipsa analogia officii

⁵⁴ MOGAVERO, D., *Il parroco e i sacerdoti collaboratori*, in AA.Vv., *La parrocchia e le sue strutture* (Il Codice del Vaticano II, 4), Bologna 1987, 121; cf. COCCOPALMERIO, F., *De paroecia*, Roma 1991, 10 («*"Proprius" significat quod pastor agit nomine proprio*»).

⁵⁵ *De paroecia* 64.

⁵⁶ Ita ex. gr. MOGAVERO 129 (acceptans tamen possibilitatem exceptionis legitimaе).

⁵⁷ Praesertim ante unionem parvarum dioecesium italicarum die 30 septembris 1986 peractam frequenter una eademque persona curam plurium dioecesium habebat. In his tamen casibus hae dioeceses aequae principaliter vel in persona Episcopi unitae erant. Cf. GIACHI, G., *Riordinamento delle diocesi in Italia*, in *La Civiltà Cattolica* 137 (1986) vol. IV, 377-381.

⁵⁸ Cf. ex. gr. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar* 152/2, nr. 5 («absolute oder unbedingte Unvereinbarkeit»).

parochi ut pastoris proprii et Episcopi dioecesani⁵⁹ aliquam incompatibilitatem *materialem* plurium paroeciarum pro effectu habet. Si autem — ut nonnulli dicunt — paroeciae eidem sacerdoti ut vero parochi concreditae necessario uniuntur, hoc problema ex se solvitur. Quidquid autem sit hac de re, ipsa dispositio can. 526 § 1 excludit incompatibilitatem *materialem* paroeciarum absolutam esse. Si incompatibilitas *materialis* absoluta esset ex ipsa notione paroeciae, vetitum ibi enuntiatur superfluum esset, exceptiones autem in secunda parte can. 526 § 1 contentae incompatibilitatem sic quoque relativam redderent.

III. Conclusio

His omnibus perpensis dari videntur conclusiones quae sequuntur:

1) incompatibilitas officiorum in iure canonico vigenti persistit, et quidem eodem sensu ac in can. 156* § 1-2 Codicis Pio-Benedictini;

2) officia parochorum plurium paroeciarum etiam hodie *incompatibilia* sunt, et quidem incompatibilitate multiplici, nempe ad normam can. 526 § 1 incompatibilitate *legali et relativa*; (immo iuxta aliquos si de paroeciis non finitimis agitur: *legali et absoluta*, alioquin autem incompatibilitate *legali et relativa*); paroeciae praesertim propter obligationem residentiae et per ipsam notionem «pastoris proprii» etiam *materialiter* incompatibiles sunt, sed *relative* tantum⁶⁰;

⁵⁹ Cf. CHIAPPETTA I, 617 (auctor canonem 519 explicans officium parochi ut pastoris proprii officio Episcopi dioecesani sub hoc aspectu aequiparat).

⁶⁰ Si unionem paroeciarum eidem parochi pleno iure concreditum negas: semper.

3) effectus harum omnium incompatibilitatum est *illiceitas* sed non invaliditas collationis officii;

4) *relativitas* incompatibilitatis in hoc casu intelligenda est eo modo, quod pro exceptione licite facienda *causa* sufficiens requiritur et ut condicio praescribitur, quod paroeciae eidem sacerdoti pleno iure conferendae vicinae sint;

5) haec *causa* debet esse probabiliter *gravis* (ut obligatio residentiae non urgeat, cf. can. 533 § 2) et *valde specialis*, quae veram stabilitatem solutionis a necessitate postulatae requirat (quia eadem persona ut parochus plenam stabilitatem in omnibus paroeciis habebit), sed unionem totalem non exigit; de omnibus aliis elementis curae paroecialis constitutione administratoris sufficienter provideri potest (cf. can. 540 § 2); verum est, quod paroecia sub directione administratoris vacare pergit et etiam dilatio (cuius tamen mensura in lege non definitur) provisionis officii curam animarum secumferentis *causam gravem* requirit (can. 151), sed cleri penuria — praesertim cum magna distantia paroeciarum et incertitudine status personalis et pastoralis cumulata — sine dubio sufficiunt ut Episcopus hanc solutionem seligat, scilicet nominationem parochi etiam in administratorem alterius paroeciae. Ergo: utique legitimum est, si Episcopi aliquarum regionum hac possibilitate nominandi eundem sacerdotem in verum parochum plurium paroeciarum nunquam uti debere prudenter censeunt. In aliis regionibus et in certis casibus propter rationes specialissimas, velut condiciones a iure ecclesiastico civitatis pendentes⁶¹ talis

⁶¹ Cf. PAARHAMMER, in *Münsterischer Kommentar* 526/1, nr. 1.

provisio licita et fortasse opportuna esse potest, etsi paroeciae — similiter ac antea — etiam hodie incompatibiles sunt.

PÉTER ERDÖ